



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Corollarium præcedentis doctrinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

cedo Majorem: si ad illud conducatur ut causa, nego Majorem: licet autem Incarnatio Christi, ejusque merita efficaciter ad salutem electorum conducant, non tamen conducunt ut media, sed ut causa illius, ac finis beatitudinis nostrae, cum Incarnatio & merita Christi nobiliora sint ac Deo propinquiora, quam salus hominum, ut disp. 5. fusè declaravimus, unde non præparantur à Deo ex intentione & amore illius, nec per consequens sunt nostrae prædestinationis effectus.

196. Explicatur, & magis illustratur hæc solutio: Non omne efficaciter conducent ad aliud, debet illius amorem supponere, & ex illius intentione imperari, sed tantum quod ut medium assumitur; cum enim medium ratione finis ametur, sicut conclusio ratione præmissarum cognoscitur, debet ut efficaciter eligatur, amorem efficacem finis supponere, & imperari ex illius efficaci intentione; sicut conclusio, quia ratione principiorum cognoscitur, ut certò cognoscatur, debet certam principiorum cognitionem supponere, & ut evidens sit conclusionis cognitio, præsupponi debet evidens principiorum notitia: causa verò est in ordine ad effectum ametur, non tamen ratione effectus amatur, & ideo illius amorem non supponit, sed infert: unde cum Incarnatio non ordinetur ut medium ad salutem electorum, sed sit illius causa & finis, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, ex illius intentione non fuit à Deo imperata, licet ad salutem hominum, ut ad finem cui ordinata fuerit, ut loco citato exposuimus.

197. Obijcies quartò: Fides & spes sunt nostrae prædestinationis effectus: Sed Christus nec fidem nec spem nobis meruit: Ergo non meruit nobis omnes prædestinationis effectus. Major est certa, Minor probatur. Christus solum venit in mundum, ut ea recuperaret & mereretur, quæ primus parens peccando sibi & nobis amisit: Sed primus parens peccando non amisit fidem, nec spem, cum illæ virtutes non amittantur nisi per actus infidelitatis, & desperationis, quos Adamus peccando non elicit: Ergo meritum Christi non se extendit ad motus fidei & spei, nec ad auxilia ad illos actus eliciendos necessaria.

198. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem respondet Vazquez disp. 77. cap. 4. quod Adamus quando peccavit, revera amisit fidem, sicut Eva, quia eodem modo credidit dictum serpentis verum esse, videlicet: *Nequaquam moriemini, & eritis sicut Dij*. Nec obstat (inquit) quod Apostolus 1. ad Timoth. 2. dicat: *Vir non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Hoc enim solum denotat, quod vir non est seductus primus, sed secundus, ut plures ex SS. Patribus exponunt. Vel ut alij volunt, his verbis tantum significatur, virum non fuisse seductum à serpente, sicut mulier, sed ab ipsa muliere. Idem docet Pererius in commentariis super Genesim, ad illa verba: *Deditque viro suo, & comedit*.

199. Melius tamen respondetur, quod licet Adamus non amisit suam fidem peccando, nobis tamen eam amisit, sicut & reliqua dona gratiæ, quæ in nos transfudisset, si non peccasset, atque adeo ad recuperandum ista omnia venit Christus, merendo nobis fidem ac spem, & reliquas dispositiones ad gratiam. Unde in Conc. Arausic. 2. can. 25. dicitur: *Per peccatum primi parentis ita fuisse attenuatum liberum arbitrium hominis, ut nec possit in Deum credere, nec sperare*. Ex quibus verbis

Tom. IV.

A apertè colligitur, Adamum peccando, nobis fidem & spem amisisse. Et in hoc sensu intelligendus est S. Prosper, dum resp. 1. ad excerpta Genuensium probat contra Semipelagianos, fidem in posteris Adæ petiisse, nec nisi ex dono Dei, & per gratiam Christi, posse recuperari; quia Adam peccando perdidit fidem, & quidquid perdidit, posterius ejus in ipso perdidit: *Quomodo enim (inquit) fides in Adam perdit, in quocumque filiorum ejus inveniretur, nisi eum Spiritus Sanctus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet*. His enim verbis solum declarare intendit, quod Adam peccando amisit fidem pro nobis, & contraxit tunc debitum carenti illa, non quidem in propria persona, cum infidelitatis peccatum non commiserit, sed in omnibus suis posteris. Eodem modo intelligendi sunt alij SS. Patres, quos Vazquez & Pererius pro sua sententia adducunt. Cum verò Leo Papa ait quod *Adam exutus fuit fidei vestimento*, rectè intelligi potest quod exutus fuit charitate, quæ cum sit forma fidei, veluti vestimentum ejus dici potest. Alij verò qui dicunt, Adamum peccando fuisse infidelem, non loquuntur de infidelitate quæ cōtingit ex amissione fidei virtutis Theologica, sed de infidelitate quæ opponitur fidelitati quam tenemur servare Deo in observatione mandatorum; quæ ratione omnis transgrediens præcepta divina dicitur infidelis, quia non servat fidelitatem, licet non amittat virtutem Theologicam fidei, & è contra omnis observans mandata, dicitur *fidelis servus*, Matth. 24. & 25.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrine.

EX dictis inferes, Christi meritum se extendere non solum ad omnia bona supernaturalia, quæ conferuntur hominibus qui post ipsum nati sunt, sed etiam quæ collata sunt antiquis Patribus, alijsque omnibus qui ab origine mundi fuerunt post lapsum primi parentis: Nam ut supra dicebamus, gratia & alia dona supernaturalia fuerunt in Christo tanquam in universali principio: Sed virtus primi principij alicujus generis universaliter ad omnes effectus illius se extendit, sicut virtus Solis, qui est causa universalis generationis, ad omnes rerum inferiorum generationes: Ergo virtus meritoria Christi extenditur ad omnia dona supernaturalia quæ conferuntur vel collata sunt hominibus, à lapsu primi parentis, sive in lege naturæ, sive in lege scripta. Unde ad Hebræos 9. Christus dicitur mortuus in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento. Et ad Rom. 3. Apostolus ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Item Apocal. 13. Christus, dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, eò quod pretio suæ mortis futuræ, gratia collata sit omnibus, quicumque illam receperunt ab origine mundi. Denique Actorum 4. Princeps Apostolorum ait: *Non est aliud nomen datum sub celo in quo oporteat nos salvos fieri &c.*


Dices, Meritum, cum sit causa præmij, & via ad illud, debet prius existere: Sed meritum Christi non prius extitit, quam gratia antiquorum Patrum, cum hæc ante Incarnationem, & Christi adventum, ipsis collata fuerit: Ergo meritum Christi ad illam non potuit se extendere.

Respondeo non requiri necessariò quod meritum prius existat in executione ante præmium,

QQ99

sed sufficere quod existat in præscientia præmiantis: Ratio est quia meritum non est causa physica, sed moralis: ut autem causa moralis moveat, sufficit quod sit in præscientia & intentione præmiantis: unde ut Christus dicatur causa meritoria gratiæ collatæ antiquis Patribus, sufficit quod Deus ab æterno ejus merita in tempore futura præviderit, & eorum intuitu motus & excitatus fuerit ad conferendam gratiam Patribus antiquis & aliis qui ante Incarnationem & Christi adventum justificati sunt.

Querunt hic aliqui, an Christus etiam meruerit gratiam collatam Angelis & primis parentibus in statu innocentie? Sed de hoc fusè egimus suprà disp. 14. art. 4. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus.



DISPUTATIO XXII.

De servitute, oratione, & sacerdotio Christi.

Ad quæst. 20. & duas sequentes.

Postquam D. Thomas egit de pertinentibus ad virtutem Christi, quantum ad operationem & meritum ejus, differit de his quæ Christo conveniunt per comparisonem ad Patrem, & primò de subjectione illius ad Patrem, secundo de ejus oratione, tertio de ipsius sacerdotio, de quibus etiam in hac disputatione agendum. Sed quia Christus non fuit tantum Sacerdos, sed etiam Rex, non solum de sacerdotio Christi, sed etiam de regia ejusdem potestate & dignitate, breviter differemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Christus ut homo, sit verè & propriè servus Dei?

Negant Vazquez, Beccanus, Hurtado, Martinonius, & alij ex Recentioribus; affirmant verò Thomista cum Sancto Doctore, locis infra referendis, & ex Patribus Societatis Suarez, Valentia, Ragusa, & alij. Pro resolutione

Diligenter observandum est, duplicem esse servitutem; aliam naturalem, aliam legalem. Naturalis ea est quæ in natura fundatur, & quæ aliquis ratione productionis v. g. est inferior alteri, & ei subiectus, teneturque illi obsequi ac obedire; & hoc genere servitutis filius est subiectus patri, & quælibet creatura Deo, quia ratione creationis est sub dominio Dei, & Deus potest facere in illa, de illa, & per illam, quicquid voluerit; & si talis creatura sit rationalis, tenetur Deo subijci, præceptis ejus parere, ipsumque tanquam supremum dominum colere & revereri; unde Angeli & primi parentes in statu innocentie, fuerunt servi Dei hoc genere servitutis. Servitus legalis ex Augustino 16. de civit. cap. 9. est illa quæ non à natura, sed à lege introducta est, & hæc est pœnalis quædam conditio eorum qui aut bello capti, aut venditi, subijciuntur dominio alterius, juxta illud 1. Petri 2. *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est.* Et hac ratione is qui peccat dicitur servus peccati & diaboli, quia ab eo superatus est, venundatus

A sub peccato, ut loquitur Apostolus.

Notandum est insuper: inter hæc duo genera servitutis, hoc præcipuè interesse discrimen, quod ille qui est servus servitute legali, ita est sub alterius dominio, ut cum eo, neque in bonis, neque in honore, neque in sede communicet; unde Aristoteles 1. Politic. cap. 3. dicit servum esse illum qui non est gravior sui, sed alterius. Servitus verò naturalis non excludit jus ad communicandum in bonis & honoribus, ut patet in filio, qui licet sit servus naturalis patris, habet tamen jus ad communicandum cum illo in bonis & honoribus. Sancti etiam, licet verè & propriè sint servi Dei (& hoc nomine se insigniri gloriatur D. Paulus, pluries repetens in suis Epistolis, *Paulus servus Jesu Christi*) quia tamen sunt filij Dei per gratiam, cum eo in bonis communicant, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Si filij, & hæredes.* His præmissis, facilis erit resolutio difficultatis propositæ.

§. II.

Triplici conclusione difficultas proposita resolvitur.

Dico primò: Christus ut homo, non est, nec dici potest, servus Dei servitute legali.

Hæc conclusio ex fundamentis jam statutis manifestè colligitur, nam ut diximus in secundo notabili, qui est servus servitute legali, ita sub alterius dominio constituitur, ut cum eo neque in bonis, neque in honoribus, neque in sede communicet; Sed Christus ut homo, ratione unionis hypostatice, communicat in bonis cum Patre, cum ratione illius habeat jus ad gratiam & gloriam, ac alia dona supernaturalia. Communicat etiam cum illo in honoribus & dignitatibus: nam humanitas Christi, propter conjunctionem cum Deo, eodem cultu adoratur ac Deus; & sicut mulier matrimonio Regi conjuncta, Regina appellatur, ita humanitas Christi hypostatice Deo unita, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, dicitur & est Regina & Domina, juxta illud Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Item Christus ut homo, in sede cum Patre communicat, cum ad dexteram ejus in cælis sedeat: Ergo nec est nec dici debet servus Dei, servitute legali.

Dico secundo, Christum ut hominem esse verè & propriè servum Dei, servitute naturali.

Probatur primò ex Scriptura, in qua Christus vocatur sæpius servus Dei: Isaia 42. *Eccce servus meus, suscipiam eum* &c. Et cap. 53. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.* Zachar. 3. *Adducam servum meum orientem.* Idipsum in novo testamento traditur Matth. 12. ubi Evangelista locum ex Isaia adductum interpretatur de Christo. Et cap. 11. Christus alloquens Patrem sic ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cali & terre.* Ubi nomine cali & terre, omne quod factum est à Deo, & ipsum Christum, in quantum hominem, comprehendi, docet Athanasius lib. 3. contra Arrianos. At non est cur in metaphorico sensu illa testimonia accipiantur, ut Vazquez contendit: tum quia ex sensu rigoroso nullum sequitur absurdum, ut constabit ex infra dicendis, tum etiam quia Ecclesiæ Patres mox referendi, à quibus legitimus scripturæ sensus hauriendus est, illa in rigore acceperunt: Ergo Christus, in quantum homo, verè & propriè est servus Dei, servitute naturali.